HONORIUS AUGUSTODUNENSIS
Admont, um 1180 Seite 110v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift



reuertere sunamitis. reuertere reuertere ut intueamur te.
Sunamitis quod dicitur captiua est anima in peccatis et uiciis
a diabolo capta. Hec ab illa captiuitate quatuor modis
ad xpm reuertitur. scilicet per penitentiam. per confessionem. per bonam
operationem. per bonam exhortationem. Oportet enim ut peccator
in primis peccata penitendo defleat. deinde ad sacerdotes confi
tendo confugiat. deinde bene operando satisfaciat. postremo
alios exhortando ad conuersionem pertrahat. Vel iiii modis ani
ma redit. dum quatuor principales uirtutes arripit. Tale alii ad
imitandum intuentur. dum relicto seculo claustrum mundo mori
turus ingreditur. Huius subitam conuersionem dum quisque secularis
miratur. ei asperalibus dicitur. Quid uidebis in sunamite. nisi choros castrorum.
hoc est in anima prius in uiciis captiua. sed nunc ad uirtutes conuersa.
non uidebis amplius nisi laudem dei. et pugnam contra insidias diaboli.
Conuersi quippe semper deum pro sua saluatione laudant. et iugiter
contra uicia pugnant. Sed et in claustris sunt uere chori castrorum.
quia in choris deo iubilant. et in claustris quasi in castris contra
demones militant. Et quia anima habet sua membra sibi congrua.
singula laudantur a xpo per propria officia. Quam pulchri sunt gressus
tui in calciamentis filia principis. Anima que erat filia principis
diaboli. quando erat ab eo captiua. nunc per conuersionem facta est
filia principis xpi. Huius gressus sunt quatuor affectus. scilicet concupis
centia. timor. gaudium. dolor. qui eam portant ad opera. sicut
pedes corpus portant ad loca. Hi pulchri sunt in calciamentis.
dum secundum exempla patrum. uirtutes uel uitam eternam concupiscit.